

05 A 531

05

A

531





Adspirante DIVINI NUMINIS gratiâ

II. DISPUTATIO

συνωδολογική

eaque

GENERALIS II.

De

CAUSIS CONCILIO-
RUM INTERNIS, MATE-
RIA ET FORMA,

In Electorali ad Albim Academia,
proposita

AUTORE ac PRÆSIDE

JOHANNE FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario

Respondente

M. FRIDERICO LYSERO
Brunsuigâ-Saxone.

Ad diem 26 Septemb. horis locoq; consuetis

VVITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



CONTINUATIO.

Aphorismus I.



Ἄντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε, oraculum
est, non dictum Oecumenici illius Gentilium
Doctoris

Disputatio-
num Theolo-
gicarum for-
ma & utilis

1. Thess 5. 5.

II.

Duo autem præcipit, *Unum*, ut omnia, quæ
traduntur dogmata, ad Lydum Doctrinæ Cæ-
lestis lapidem examinentur,

166

III.

Quod ipsum etiam (a) inculcat Johannes Evangelista κατ'
ἔξοχῶν dictus (b) Theologus, itemque Θεόλογος Ἐυαγγελιστής
à Damasceno:

(a) 1. Ioh. 6. 4, 1. (b) in Epigrapho Apocalypsews.

IV.

Alterum est, ut id, quod δοκιμασίαν sustinuit, & dignum ap-
probatione iudicatum fuit, retineatur: quod secus habeat, repro-
betur.

V.

Atq; hoc est, quod JΕΗΟΥΑΗ ipse innuit, monens Prophe-
tam, ut preciosum à vili separet:

קִרְיָתְךָ מִצִּיּוֹן

Jer. 6. 15.

VI.

Quò sanè non exiguam: sed planè eximiam utilitatem confe-
runt disputationes, in vero timore DOMINI, studio veritatis, insti-
tuta, ex præcepto Basilii:

δεῖ ἐρωτᾶν μὲν ἀφιλονείκως,
ἀποκρίνασθαι δὲ ἀφιλοτίμως,

A 2

man

μανθάνειν ἢ ἀνεπαιχρώτως
καὶ διδάσκειν ἀνεπιφρόνως.
in Epistol. VII.

Quæ cum ita se habeant: non abs re fore ratus sum; si Con-
troversiam de Conciliis, aliquot Disputationum velitationibus, τῆ
δοκιμασία sive examinationi τῶν συνθεολογούντων subjicerem.
VIII.

Eo nimirum fine, ut, cognita auri Lutherani puritate, preci-
osum istud constantius retineatur: Scorix autem Romanensium
indè separata, ut vile excrementum, majori παρρησία rejiciantur.
IX.

Quod ut expediretur facilius & felicius, Causas Concilio-
rum perquirere lubuit tum *externas*, Efficientem & Finale: tum
internas Materiam & Formam. X.

μετάβασις.

Externas proxima Διασκεψή perlustravimus: hac vice ut In-
ternas: *Materiam* & *Formam* rimemur, instituti & ordinis ratio po-
stulat & requirit.

DE CAUSA CONCILIO- RUM MATERIALI.

Thesis veræ doctrinæ Lutheranorum.

XI.

Materiæ appellatione isthïc intelligimus *Subiectum ex quo*, si-
ve personas, è quibus Concilia constare, quæq; illis jure interesse de-
bent.

XII.

Suntq; *duùm* generum: Quædam sunt *Ecclesiastica*: quædam
Politica, sive *Seculares*.

XIII.

(c) Pontificii illas *Clericos*: hos *Laicos* nuncupare solent, consue-
tudine quidem trita ac pervulgata, sicut (c) Bellarminus loquitur:
sed minime scita, sacrisq; literis fundata, verùm penitus ab illis eli-
mitata.

1. Pet. c. 5, 3. Tit. 2, 14.

(c) lib. 1. de Clericis, c. 1.

XV.

Personæ *Ecclesiasticae* sunt Verbi Doctores: *Politicoꝝ* nomi-
ne comprehendimus Auditores, in alio, quàm Ecclesiastico vitæ
ordine, constitutos.

16. EX

XVI.

Ex utroq; genere personas pietatis, prudentiæ & eruditionis
Theologicæ donis instructas, ad Concilia & vocari & admitti de-
bere, non solum ut sententias aliorum audiant: sed ut & ipsi sua
liberè conferant suffragia, eaq; decisiva, disertè *affirmamus.*

XVII.

Et ejusmodi sanè Concilium Universale Protestantes ab Im-
peratore Carolo V. indici petierunt, sicut testantur cum primis
Acta Comitiorum Norimbergensium A. C. 1524. è quibus hunc adscribo
paragraphum: Tom. II. Isleb. fol. 392.

Daß demnach vnser Stadthalter/ auch Churfürsten/ Fürsten/
Prelaten/ Grafen vnd andere Stände des Heiligen Rö-
mischen Reichs/ auch derselben geschickten Botschafften/
auff wichtigen gehalten Rath dieser Zeit/ nach gestalt vnd
gelegenheit aller sachen/ kein tröstlicher/ hülfflicher mittel
haben erdencken können oder mögen/ denn daß die Bapstli-
che heilligkeit/ mit vnser Verwilligung/ ein frey/ Christlich
Concilium/ an bequeme Malstadt Deutscher Nation / als
gegen Straßburg/ Meintz/ Cöln/ Metz/ oder andere ort
so sich Bapstliche heiligkeit/ vnd Wir vns vereinigen möch-
ten, außgeschrieben/ vnd außs längste in Jahrsfrist ange-
fangen werde.

XVIII.

Neq; unquam recusavit Lutherus in ejusmodi Concilio se co-
ràm sistere; imò simpliciter recepit, se in quavis compariturum
Synodo, sicut cernere est, in *Colloq. cum Paulo Vergerio, Legato Pon-*
tificio, quod finiebatur hac Legati voce Thraonica: Vide, ut sis instru-
tus ad Concilium; respondebat Lutherus, voce hac *ἡμεῖς πορευτινῆ:*
Feram Domine cum isto collo meo II. Tom. Isleb. p. 353.

XIX.

Cujusmodi autem fuerit Conventiculum illud Tridentinum,
res ipsa loquitur. *Vide Oslandrum Cent. XVI. p. 88.*

XX.

Eam ob causam piè & prudenter factum à Protestantibus, quod
Conciliabulum illud vel ideò etiam improbârunt, quia *indictum à*
Pontifice, neq; inibi ullis jus conferendi suffragia datum, præterquam Cardi-
nalibus, Episcopis, Abbatibus, & Generalibus Ordinum

in lib. cui titulus: Causa cur Electores & ceteri Confess. Aug. ad-
dicti, ad Concil. Trid. non accedant.

A 3

Ka.

Ceterum non Ecclesiasticos solum homines: sed Politicos etiam ac seculares, etiam eo fine admitti debere ad Concilia, ut non saltem, quæ proponantur & deliberentur, audiant: sed ut sua etiam in medium liberè conferant suffragia: duplici argumentorum genere probatum ac testatum damus.

XXII.

II. Argumen-
torum genera.

Vnum est Exemplorum: alterum Rationum.

XXIII.

I. Exempla.

Exempla in duplici sunt differentia: 1. Quædam enim *Sacra* sunt: Quædam *Ecclesiastica*.

XXIV.

Inter *Sacra* ex amissim huc quadrat Synodus Apostolica Hierosolymis habita, quæ quippe reliquarum Synodorum omnium norma ac regula non immeritò censi potest ac debet.

XXV.

In ea autem Synodo non soli convenerunt Apostoli: sed etiam *Presbyteri*: & præter hos insuper quoq; *populus*.

XXVI.

Nec modò convenerunt: sed suum quoq; & *hi & illi* suffragium, idq; decisivum habuerunt, contulerunt.

XXVII.

De *Presbyteris* res manifesta est, ex Actis Apostolicis c. 16, 40 ubi asseveranter affirmatur: Paulum à Synodo, de qua capite proximè præcedenti 15, regressum; in Civitatibus, quas pertransibat, tradidisse: servanda decreta, quæ erant *Ordinata* (verius *dijudicata* *κεκρίμενα*) ab *Apostolis & Presbyteris*, qui erant Hierosolymis.

XXVIII.

De *populo* idem absq; magna difficultate asseri potest, ex hoc Evangelistæ testimonio satis perspicuo:

Tunc visum est (ἐδοξε) *Apostolis & Presbyteris*, cum tota Ecclesia, Act. c. 15, 22.

XXIX.

Ubi distincta *trium* ordinum fit mentio, 1. *Apostolorum*, 2. *Presbyterorum*, 3. *Ecclesie totius*, qua comprehensus *populus*; sed *unum & idem*

idem Synodi *δόγμα* five decretum *conjunctim*, ut causis sociis, illis assignatur. **XXX.**

Addè quòd *versu* mox *sequenti* 23. memoratur : Epistolam Synodalem ex decreto isto Antiochiam fuisse missam : non Apostolorum duntaxat nomine : sed *fratrum* etiam autoritate.

XXXI.

Quod nequaquam dici posset : Si populus saltem auditorum, & non etiam interlocutorum vicem tenuisset.

XXXII.

Quò accedit ; quòd *multitudo tacuisse* narratur, & *tum* demum conditum fuisse illud decretum ; quod vel ipsum argumento est, eam priùs quàm taceret, suam de propositis capitibus proposuisse sententiam, eamq; æquè, ut Apostoli & Presbyteri, definitivam.

Act. c. 15, 12, & 22.

XXXIII.

Exempla *Ecclesiastica* nobis subministrat Historia Conciliorum, & præsertim Oecumenicorum, de quibus suo tempore & loco.

XXXIV.

Jam sufficiat propria Papæ Nicolai ad Michaellem Imperatorem confessio:

Distinct. XCVI. c. 6.

Vbinam legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos?

XXXV.

Inter *Rationes* hæ quatuor potissimum militant, quarum prima manat ex præcepto Petri universim jubentis, ut *simus parati ad respondendum cuilibet petenti, ut loquamur de eâ quæ in vobis est spe, cum mansuetudine & reverentia.* 2. *Rationes* quatuor. I.

I. Epist. c. 3.

XXXVI.

Quam ad rem cum Concilia etiam faciant, eòq; sine instituantur, ut paratiores simus ad respondendum adversariis, de articulis fidei : quis Laicos indè prohibuerit, & occasionem istam commodissimam, suamq; dicendi sententiam inviderit? *Se-*



XXXVIII.

Secunda est, quòd Laicis etiam competit ἀνάκρισις Scripturarum, & solers indagatio, an ea, quæ credenda decernuntur, sacris consonent literis.

Act. 1. 17, 11.

XXXIX.

Tertiam inde depromimus, quòd Apostolus ab Auditoribus requirit ἀκρίβειαν eorum, quæ de rebus fidei, disceptantur.

1. Cor. 2, 15. 1. Cor. 10, 15. 1. Cor. 14, 20. 1. Thes. 5, 21. Phil. 1, 9, 10. 1. Ioh. 6, 4, 1. Heb. 5, 14.

XL.

Qui verò locus esse poterit ἀκρίβειᾶς istī; si nemini præterquam Episcopis, Conciliis, quæ, ejusmodi disceptationum ergo, celebrantur, interesse suamq; sententiam voce liberâ & apertâ dicere licet?

XLI.

4. Quia interdum & præsertim hoc tempore, Papa ipse complurium errorum à toto Christiano Orbe accusatur; Episcopi verò omnes ac singuli Papæ juramenti vinculo, ne quid contra ipsum statuatur, arctissimè sunt obstricti, teste hac solenni illius juramenti formulâ:

Ego N. Episcopus ab hac hora in ante fidelis ero S. Petro, sanctæq; Apostolica Romana Ecclesia, Dominoq; meo Papæ, ejusq; successoribus canonicè intransibus. Non ero neq; in consilio neq; in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ & regulas sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum (salvo ordine meo) contra omnes homines, &c.

XLII.

Quòd si igitur solis Episcopis suffragia transcribantur definitiva, in Conciliis: quis obsecro eorum usus? nullus profectò alius, quàm Conciliabuli illius Tridentini, quo abominabiles Pontificiæ non modò non sublata; sed magis adhuc confirmata fuerunt,

Anti-

Antithesis falsæ doctrinæ Romanensium,
XLIII.

Atq; hætenus quidem purioris Ecclesiæ fuit sententia de
Causa Conciliorum materiali: Opinionem Synagogæ Papanæ Ro-
bustus ejusdem Bellator, isthoc complexus est aphorismo:

At CATHOLICORUM sententia est, solos Prælatos majores eosq;
omnes, id est Episcopos in Conciliis generalibus & provincialibus
habere jus suffragii decisivi ordinariè: ex privilegio autem & con-
suetudine, etiam Cardinales, Abbates, & Generalis ordinum, li-
cet Episcopi non sint; ex Presbyteris autem & aliis Clericis mino-
ribus tantum vocari aliquos viros doctos, qui juvent in disputando,
vel aliis ministeriis: Principes autem vocari, tum ut Concilium de-
fendant, tum ut testes & conscii decretorum Concilii, postea trans-
gressores & contumaces pœnis corporalibus puniant. Deniq;, ex
privatis laicis tantum vocari aliquos, qui videantur utiles, vel ne-
cessarii ad aliquod ministerium Concilii.

I. Libr. Concil. c. 15.

XLIV.

Summa huc redit: Solos Episcopos Papales in Conciliis habere
suffragium decisivum ordinariè: Præter hos verò & alios, videlicet
Cardinales, Abbates & Generales Ordinum jus illud obtinere: sed ex
privilegio & consuetudine.

XLV.

Atq; istud sanè ipsâ praxi observârunt, in Conciliabulo Tri-
dentino, ad quod licet Protestantium Theologi fuerint missi: ad
suam tamen sententiam liberè in Confessu Episcoporum dicen-
dam non fuerunt admissi.

Sleidanus in hist. Anni 1552. Osiander Cent. XVI. f. 587.

Ανασκευὴ κατὰσκευὴς ἀντιθέσεως Romanensium.

XLVI.

Ceterùm ne quid sine ratione asseruisse videatur Jesuita: Resutatio IV.
quatuor adducit argumenta, quibus suæ illi assertiunculæ fidem
facere luctatur.

Argumento-
rum Jesuitæ.

XLVII.

Primum desumit ex aliquibus Scripturæ (a) locis, quibus à Pa-
storibus Ecclesiarum requiritur, ut pascant, id est, doceant gregem
DOMINI, id quod munus solorum saltem Episcoporum esse con-
tendit ex Act. c. 20, 28.

(a) Hier. c. 3, 15, Eph. c. 4, 11.

B

48. Niti-



XLVIII.

Nititur hoc argumentulum *falsa hypothesis*, eâq; non simpliciter sed *duplici*.

XLIX.

Prima est, quòd solorum Papalium Episcoporum munus esse garrit: pascere gregem DOMINI; cum nihil minùs ab illis fieri soleat; de qua re Lutherus in Scripto verè Heroico, cujus Epigraphe:

Wieder den falschgenandten Standt desß Pappsts vnd der Bischoffen.

Tom. II. Ien. Germ. p. 106.

L.

Sacrilegium igitur est, quòd Jesuita Concionem Pauli Act. 20. ad Episcopos suos Papales restringit, *fallaciâ parium* planè palpabili.

LI.

Episcopi enim illi, quos Apostolus suâ alloquitur Concione *ἡγεμενικῆν*, ab illis toto differebant, quod dicitur, cælo.

LII.

1. Hi namq; *κατὰ συναγωγῶν* appellantur *presbyteri*, eodem capite v. 17. neglecto commentitio illo Romanensium, inter Episcopos & Presbyteros, discrimine.

LIII.

Quò in idem quadrat, quòd Petrus, quem omnium Episcoporum Principem fuisse nugantur Papicolæ, se ipsemet vocat *πρεσβύτερον*

1. Epist. c. 5.

LIV.

2. Episcopi, cum quibus loco allegato agit Apostolus, omnes fuerunt unius Civitatis, Ephesi nimirum, ostendente id *αὐτοπικῶς* ipsâ contextûs cohærentia, vers. 17. & 18.

A Mileto autem missis Ephesum nunciis accersivit presbyteros Ecclesiæ.

Qui cum pervenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim.

L V.

Ex Episcopis autem Papalibus plures uno uni præesse Civitati Canonibus interdictum est Papalibus.

LVI.

Quò pertinet, quòd nonnulli in Regno Antichristi Occidentalis, illum (b) Canonem Apostolicum: *Episcopus sit unius uxoris maritus,*

608.

maritus, sensu anagogico interpretantur, intelligentes per uxorem Ecclesiam, quasi velit Apostolus; debere unum Episcopum uni saltem Ecclesiae praefectum esse.

LVII.

Alter porro *hypotesis* omnino falsa, est, quod opinatur Jesuita: institui Concilia, eo fine, ut inibi oves CHRISTI pascantur, id quod sacris fit concionibus.

LVIII.

In Conciliis autem proprie pabula ovibus CHRISTI sacris Concionibus proponenda, à veneno aliisq; inquinamentis perpurgantur, admoto sacrarum literarum igne probatorio.

LIX.

Quam ad rem Laici Scripturae periti multò utiliùs adhiberi possunt, quàm larvati & titulares illi in Papatu Episcopi, qui maximam partem (g) ἀλογα ζῶα, & ad controversias fidei dijudicandas ὄνοι πρὸς τὴν λύραν.

(g) Epist. Iud. v. 10.

LX.

Secundum argumentum consarcinat ex testimoniis Veterum, 1. Patrum. 2. Theodosii Imperatoris. 3. Pulcheriae Imperatricis. 4. Concilii Chalcedonensis.

LXI.

Ad quæ facilis & expedita responsio. 1. in genere ad universa. 2. in specie ad singula.

LXII.

Universis in genere opponimus auctoritatem Synodi Apostolicae, cui non solum Apostolos & Presbyteros interfuisse suamque sententiam inibi tulisse: sed etiam totam Ecclesiam adeoq; & populum, superiusculè dictum & evictum fuit invictissimè.

LXIII.

In specie respondemus ad singula; & quidem, 1. ad testimonia Patrum: in illis Concilia vocari conventus Episcoporum, (sed non SOLORUM) idq; κατ' ἐξοχλῶν, ad distinctionem conventuum secularium. Ab inclusiva autem ad exclusivam non valet consequentia.

LXIV.

2. Quod Theodosius Imperator in Epistola, (quæ, eòquod in Antiquis exemplaribus extat haud injurià νοθευομένη censenda) scribit:

B 2

illuc.

Illicitum esse se Ecclesiasticis immisceri tractatibus: modestiæ & prudentiæ: non omnimodæ negationis argumentum est.

LXV.

Quod vel indè liquet, quòd suo nomine Candidianum jussit interesse Synodo Ephesinæ, quæq; ibi agerentur, ad se perscribere.

LXVI.

3. *Pulcheria* jussit repelli à Concilio Chalcedonensi, eos qui Dioscori & Eutychetis hæreticorum causæ favebant, tumultus præcavendi gratia.

LXVII.

4. Quam eandem ob causam ab eodem Concilio exesse jussi sunt omnes SUPERFLUI.

LXVIII.

3. *Tertium argumentum* Jesumachus nectit ex Episcoporum ad decreta Conciliorum subscriptionibus.

LXIX.

Sed mox sibi ipsi contradicit, dum evidentiâ rei adductus & adactus faretur: Imperatores etiam generalibus Conciliis subscripsisse:

LXX.

Quòd autem Archisophista distinctiunculam assuit inter subscriptiones definitionis & consensionis: id oppidò frigidum est & frivolum:

LXXI.

Ex historia enim Ecclesiastica constat: Imperatores non nudè subscripsisse decretis Conciliorum: sed ea sua etiam autoritate, ut confirmarent, ab ipsis Conciliorum Patribus rogatos fuisse; quemadmodum vel maxime patet ex Epistola Concilii Constantinopolitani I. ad Theodosium exarata.

LXXII.

4. *Quartum* consuit ex quibusdam ratiunculis, quarum 1. *Ecclesiastica negotia ab Ecclesiasticis tractari convenit: publica à publicis personis.*

LXXIII.

R. Administratio officii Ecclesiastici solis quidem personis Ecclesiasticis competit: quòd autem ceteri ab omni rerum Ecclesiasticarum tractatione, & præsertim veritatis in his inquisitione abstinere debeant: Crudum & Crassum est τῆς παρεπομένῃς σόφισμα, imò pars haud postrema sacrilegii Antichristiani.

LXXIV.

2. *Impossibile est ut omnes docti admittantur ad Concilia, & in illa*

illa multitudine observetur Ordo. R. Sufficit ex unaquaq; provin-
ciana quosdam interesse Conciliis, eaq; certis legibus ad *εὐτα-
ξίαν* spectantibus gubernari.

LXXV.

Et sic etiam concidunt 3. & 4. ratio, de numero suffragiorum Prin-
cipis territorii, in quo celebretur Concilium, itemq; de ordine in co-
mitiis.

DE CAUSA FORMALI.

Thesis veræ doctrinæ Luthera-
norum.

LXXVI.

Causa formalis elucet potissimum in *εὐταξία* & *εὐνομί-
σῳν* in Conciliis etiam observanda, ex generali præcepto Apostoli
I. Cor. 6. 14.

LXXVII.

Eò autem vel maximè conducit, ut præsides & moderatores
Conciliorum adsint.

LXXVIII.

Suntq; vel *summus*, aut *primus*: vel *inferiores* aut *primo subordina-*

ti.

LXXIX.

Summus Præses oranium Conciliorum est SPIRITUS SANCTUS.

LXXX.

Inferiores vel *potestatis* ratione præsent: vel saltem *ordinis-*
gratia.

LXXXI.

Præsides Conciliorum *universalium*, ratione *potestatis* sunt
& esse debent Romani Imperatores: in *particularibus* Conciliis Prin-
cipes vel alii *Magistratus superiores* in suo quisq; gradu.

LXXXII.

Præsides *ordinis* conservandi & dirigendi gratiâ designari pos-
sunt ac debent Antistites Ecclesiarum, qui præ ceteris autoritate
& eruditione Theologicâ maximè conspicui.

Κατὰ θεὸν thesæws Lutheranorum.

LXXXIII.

De SPIRITU SANCTO notum est illud effatum verè Apostoli-
cum, in Synodo Hierosolymitanâ, Act. 6. 15.

Placuit SPIRITUI SANCTO & nobis.

B 3.

De



LXXXIV.

De Imperatore, & ceteris magistratibus in sublimitate eminentibus, præter exempla piorum Regum in V. T, itidem nota est sententia DOMINI-DOMINANTIUM.

LUC. C. 22, Reges gentium dominantur. &c.

LXXXV.

Accedunt Exempla Synodorum Oecumenicarum, quibus Imperatores interfuisse ac præfuisse: suo docebimus loco.

LXXXV.

De directione ordinis cuidam Antistiti Ecclesiarum demandanda, res itidem munus est controversa.

LXXXVI.

Et iterum pro nobis facit praxis Conciliorum Universalium, in quibus Episcopos ordinis Rectores & Directores fuisse, suo identidem tempore singulatim monstrabimus,

Antithesis falsæ opinionis Romanensium.

LXXXVII.

Contrà Romanenses, horumq; præcipuè Antesignanus & πρωτοστάτης Bellarminus pertinacissimè contendunt: Soli Pontifici Romano competere jus præsidendi & omnia moderandi in Conciliis ut judici supremo.

LXXXVIII.

Ita enim garrit effrons Jesuita:

Lib. I. de Concil. c. 19:

Catholici omnes id munus proprium esse docent summi Pontificis, ut per se vel per Legatos Synodo præsideat, & tanquam supremus Judex omnia moderetur.

Ανασχευή Κατασχευής antitheseως Romanensium.

LXXXIX.

περτολόγημα istud ut aliquo probabilitatis palliōdo induat, induitumq; exornet: tria consuit argumentula levidensæ.

X C.

I. CHRISTUS dixit Petro Ioh. c. 21. Pasce oves meas. Ergo.

XCI.

Funiculi ex arena! An non & ceteris Ecclesiæ Doctoribus mandatum, ut pascant, id est, ut doceant, (interprete (h) iplo Jesuita) gregem DOMINI?

Refutatio
III. Argu-
mentorum.

AB.

Act. c. 20, 28. Matth. c. 28, 19. 20. 1. Pet. c. 5, 2.

(h) lib. 1. de Conciliis cap. 15.

XCII.

Pari igitur jure gauderent omnes Ecclesiæ Ministri, cum Papa Romano, si ex illo mandato, de pascentis CHRISTI ovibus, inferre liceret id, quod Jesuita intendit.

XCIII.

III. Petrus præsedet Concilio Apostolico. Act. 15. Ergo.

XCIV.

R. Triplex est petitio principii in una hac argutatiuncula.

XCV.

1. Quòd Petrus præfederit Concilio illi Apostolico. Etenim, quòd inibi narrationem de revelatione sibi factâ recitaverit, eo loco docetur; atq; huc tendit autoritas Hieronymi à Bellarmino allegata.

XCVI.

Quòd autem Præses & Judex supremus Concilii illius fuerit: tacetur.

XCVII.

Verùm, si penitiùs historia illius Concilii inspiciatur: partes primæ fuerunt in eo Jacobi: tum quòd (i) frater, vel cognatus CHRISTI: tum quòd tum temporis ipsi commendata ἱεροσολιμίᾳ Ecclesiæ Hierosolimitanæ

(i) Gal. 1, 19. Matth. c. 13, 55.

XCVIII.

2. Quòd Petrus fuerit primus Papa Romanus, quod nondum firmiter è Scriptura & Antiquitate probatum.

XCIX.

3. Quòd Pontifex Romanus Petri successor, à quo, quoad doctrinam δις Ἀγ' πασῶν totus dissonat: imò in contraria utroque pede abit.

C.

Idq; ab aliis κατ' ἀντιπαρῳγῆσιν ad oculos jam pridem ostensum fuit: Nos hic hanc unicam duntaxat ex Jure Pontificio adscribimus Hieronymi sententiam:

Distinct. XL. c. 2.

Non est facile stare loco Pauli, & tenere gradum Petri, jam cum CHRISTO regnantiam: quia hinc dicitur, non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

101. Confess.

CI.

III. Constat id ex Actis VIII. Conciliorum generalium B.

CII.

De quatuor Conciliis Vniversalibus sive Oecumenicis contrarium suo loco & tempore singulatim probatum dabimus.

CIII.

De reliquis magnopere non laboramus, cum eo celebrata tempore, quo Papatus jam magis magisque radices agere instituit.

CIV.

Ubi multa de facto & jure humano sibi tribuit Romanus ille Antichristus, quæ tamen de iure, eoque Divino, ipsi minimè competebant, secundum prædictionem Apostoli,

2. Thess. 2.




05 A 531

ULB Halle 3
004 209 265


1072







Adspirante DIVINI NUMINIS gratiâ
II. DISPUTATIO
συνολογική
eaque
GENERALIS II.
De
CAUSIS CONCILIO-
RUM INTERNIS, MATE-
RIA ET FORMA,
In Electorali ad Albim Academia,
proposita
AUTORE AC PRÆSIDE
JOHANNЕ FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario
Respondente,
M. FRIDERICO LYSERO
Brunsuigâ-Saxone.
Ad diem 26 Septemb. horis locorū consuetis
VVITTEBERGÆ,
Ex officina Iohan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.